



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Fons Salutis, vulgo Heilsbrunn/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

*Æstivo sub Sole, locis in tartara pene
 Detrusis Acherontia, sole carentibus omnia
 Hiberno redeunte gelu discedit Sunda,
 Disceditq; suam quisq; advenarursus ad urbem.*

FONS SALUTIS, vulgo *Heilsbrunn* / Cisterciensium ordi-
 nis & instituti magnificentissimum opulentissimumq; cœno-
 bium, ad Schwabachium amnem, medio fere itinere inter Nori-
 bergam urbem Imperialem & Onoldisbachium civitatem Co-
 mitum olim Oetingensium, nunc vero Brandenburgensium Mar-
 chionum situm, fundatum est anno Christi 1132. ab Othone,
 Comite Andecensi, octavo Episcopo Bambergensi, & à Raba-
 thone ac Conrado, Comitibus de Abenberg, horumq; uxoribus,
 Mechtilde & Sophia, imperante Lothario Saxone, quo tempo-
 re plurima in Germaniis monasteria à diversis regulis, Principi-
 bus ac Episcopis extructa & erecta sunt. De hac fundatione ex-
 tant in ejus cœnobii magnifico sane templo hodie adhuc tales
 Versiculi:

*Hec domus Othonem colit & Comitem Rapathonem:
 Præful fundavit, Comes hanc opibus cumulat vit.
 Qui Comes Abenberg fuit hic præful quoq; Bamberg.
 His jungas Comitem Dominum Conrad juniorem,
 Mechtildin socia, conjugaturq; Sophia.
 Post M.C. Chrifte triginta duos locus iste
 Annos fundatur, Heilsbrunn qui rite vocatur,
 Virginis atq; piæ matris sub honore Mariæ,
 Ac Sancti Jacobi, qui Major vel Zebedei.
 Da veniam cunctis, Deus, hic requie tibi sanctis.*

Fuit eo ipso in loco (antequam cœnobium ædificaretur) pa-
 gus *Sagelsbrunn* / quasi fons grandinis dictus. Id nomen post-
 ea è fundatoribus ob insignem ejus loci uberium fontium salu-
 britatem in melius immutatum est. Habuit hoc cœnobium an-
 tiquitus fratres etiam Conversos, laicos, quos à barbīs, quas ge-
 rebant illi, tota vicinia *Bertlingas* vocabat. Hi quosvis suspen-
 sio tollendi (quos aliquid mali commississe sciebant) jus ac po-
 g. *Bertlin-*
 testa.

*Chronologia
 Monasterio
 in Germania
 S. M.*

testatem plenam habuerunt: quem morem ex VVestphalia ad melius tuendas monasticas facultates cœnobio intulisse dicuntur. Sunt in hoc amplissimo & urbis instar elegantissime & munitissime constructo monasterio Burggravorum Noribergensium ac Marchionum Brandenburgensium magna Mausolæa, cum appendentibus trophæis militaribus, vexillis, armis, aliisque monumentis. Cubant vero ibi inter alios summo loco natos, Reverendiss. Princeps ac Dominus, Dominus Bertholdus, Burggravius Noribergensis & Episcopus Aistetensis, sacræ Imperialis aulæ Cancellarius, qui obiit in die Euphemiæ Virginis anno Domini 1365. Albertus, Marchio Brandenburgensis, sacri Roman. Imp. Archicamerarius & Elector, qui anno Domini 1486. undecima Martii obiit Francofurti ad Mœnum in frequentissimis Comitibus, ab Imperatore Friderico III. habitis. Marchio item Sigismundus, qui obiit anno Domini 1495. Fridericus item senior, qui obiit anno 1529. Marchio præterea Casimirus, Princeps belli gloria nulli Germanorum non præferendus, qui ab Imperatore Divo Carolo V. in Hungariam ad fratrem Ferdinandum Regem missus, ut Pannonias adversus Turcicas impressiones ac irruptiones defenderet, Budæ aliquot paucis diebus ex dysenteria decumbens obiit anno Christi 1527. Unde ad Salutare fontes relictus, talibus epitaphiis posteritatis memoriæ commendatus est:

Postquam Pannonas è periculoso

Oras eripuit jugo Getarum,

Post mævortia signa, post labores

Duros militiæ domi forisq;

Huc ponit sua membra Casimirus,

Lugentis patrie sinu receptus.

Sequitur aliud elegiaco carmine, cujus author est Vincentius

Obsopceus:

Siste pedem moneo, nec sic decurre, Viator,

In vida quid possint fata, docendus eris.

Pallida sub se vas ut mors vocat omnia leges,

Id vel in hoc magno Principe quisq; videt,

Qui

Qui prole antiqua satus est. Nam Marchio patre,
 Claraq; Regali sanguine mater erat.
 Militiæ princeps, dum iustis vindicat armis
 Pannoniæ regnum; hunc sustulit atra dies.
 Hinc tua ruricolæ, lugent tua funera ci-ues,
 Atq; tuam Proceres flent, Casimire, necem.

Situs est & honorifice sepultus in eodem cœnobio illustrissi-
 mus ac optimus publicæq; tranquillitatis studiosissimus Princeps
 Marchio Georgius, Casimiri frater germanus, qui obiit anno
 1543. quinta Kalendarum Januarii, cum vixisset annos 59. men-
 ses novem, dies viginti tres. Ejus tale est epitaphium parieti
 templi affixum, cujus author est Joannes Stigelius, poeta à Ca-
 rolo Imperatore nobilitatus.

Inclutus ingenua virtute Georgius heros
 Brandenburgiaca Marchio stirpe satus,
 Hic ubi fortis Avus, fratresq; paterq; quiescunt,
 Luce senex functus post sua fata jacet.
 Qui licet excelsæ præstaret robore mentis,
 Attamen innocuæ pacis amator erat.
 Bella nec ulla domi, sed publica & extera gessit:
 Noxia nec patriæ, iussa sed arma tulit.
 Hinc sibi Pannoniæ Regum devinxit amorem,
 Præmia Slesiacos laudis adeptus agros.
 Adde, quod est titulis accessio Prussia a vitis
 Facta per hunc, gelido subdita terra polo.
 Tum verò patriam tranquilla pace gubernans
 Fortiter adseruit dogmata vera Dei.
 Hæc, fide referens constanti Spectore toto
 Confessus coram Cesare sepe fuit.
 Justitiæ custos, & castus cætera Princeps,
 Subjecti meruit civis amore coli.
 Hunc, quia te coluit, quia te constanter amavit,
 Saluator gremio suscipe, Christe, tuo.
 Visuntur in eodem templo & aliorum regulorum honorifi-
 ce extructi & eleganter ornati tumuli, Conradi videlicet Comitis
 de

Bb

de Oetingen, qui obiit anno 1334. Conradi, Comitis de Heideck qui valedixit vitæ mortali anno 1356. cujus antecessores & majores amplissimi ac liberalissimi leguntur hujus cœnobii fuisse benefactores, qui S. Michaelis primum facellum condidisse cuidam Eremitæ dicuntur, & in eodem facello mortui terræ parenti sunt redditi Joannes Comes à Nassaw, qui obiit anno 1362. octava Kalend. Maij. Item Emicho, Comes à Nassaw, qui decessit anno Domini 1358. Henricus, Archiepiscopus Anamarsensis, qui obiit anno 1390. in vigilia omnium Sanctorum. Georgius Sack, Eques auratus, qui decessit anno gratiæ 1483. Joannes Henricus de Ehnheim, Eques balthei jure donatus, qui obiit an. 1464. Ewaldus item Lichtensteinerus, Eques auratus, Casimiri Marchionis in pugna cum Noribergensibus circa Avalderbachium ad Schwartzbachium annem Hirsbergensis Comitatus & Noribergensis Burggravionatus olim terminum anno Domini 1502. commissa, præcipuus Capitaneus, qui emigravit ex hoc seculo anno 1504. Et innumeri alii, quorum nomina vix amplius legibilia sunt. Abbatum verò hujus cœnobii talis invenitur series & catalogus.

*Pugna
Casimiri
cum No-
ribergen-
sibus.*

*Abbatum
Syllabus*

1. *Rapatbo*, Comes de Abenberg, Conradi fundatoris frater, primus fuisse legitur constructi à se suisq; cœnobii Abbas & gubernator.

- | | |
|----------------------|------------------------|
| 2. <i>Nicolaus.</i> | 7. <i>Waltherus.</i> |
| 3. <i>Conradus.</i> | 8. <i>Udalricus.</i> |
| 4. <i>Arnoldus.</i> | 9. <i>Edelwinus.</i> |
| 5. <i>Albertus.</i> | 10. <i>Otho.</i> |
| 6. <i>Wernberus.</i> | 11. <i>Fridericus.</i> |

12. *Rudolphus*, de quibus omnibus nihil invenitur in fastos à quoquam relatum.

13. *Henricus* de Hirschlach obiit pridie S. Jacobi Apostoli anno Domini 1317.

14. *Conradus* à Brundelsheim præfuit annis 4. Composuit Sermones in foccis. Obiit in vigilia omnium Sanctorum anni à nato Christo 1321.

15. *Conradus* Sussianus præfuit septem annis. Obiit anno Domini 1328.

16. *Joan-*

16. *Joannes* præfuit 17. annis. Obiit tertia Idu. Junii anno Salutis 1345. Sub hoc Abbate ceciderunt prope fontes Salutare anno Domini 1336. undecima Kalendarum Junii ingentes cœli cataraclæ, quæ plurimum monasterio obfuerunt magnamque ejus partem everterunt.

17. *Friedericus* de Hirlchlach præfuit 5. annis. Obiit undecima Kalend. Sept. anni 1350.

18. *Godefridus* exauthoratus & depositus est. Obiit tandem anno Salutis 1378. undecima Kalend. Julii.

19. *Arnoldus* obiit 14. Kalendar. Septembrium anni à nato Christo 1386.

20. *Bertholdus Stromerus*, patria Noricus, præfuit annis 27. Obiit anno Domini 1413. in die Ruperti.

21. *Arnoldus* præfuit annis 15. Interfuit concilio Constantiensi. Decessit ex hac lachrymarum valle Kalendis Junii anno Domini 1428.

22. *Udalricus* præfuit annis 35. Obiit in Martio anni 1463.

23. *Petrus Wegelius*, S. Theologiæ Doctor & Professor eximius, utiliter præfuit annis sedecim. Illustravit monasterium egregiis ædificiis. Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1479. in die Thomæ Apostoli. Sepelitur in ambitu cum tali epitaphio:

Mille, quadringentos decies septemq; no vemq;

Adde annos puero Virginis atq; Deo,

Tempora dum brumæ redeunt tibi festaq; Thomæ,

Qui tetigit vulnus, quod tulit ipse Deus,

Reddidit accepta Domino solvitq; talenta,

Abba Petrus, merito tendit ad astra suo.

Condidit hic multas magnis cum sumtibus ædes,

Ergo hunc tollendum laudibus esse reor.

Hic ubi decumbunt, requiem capiuntq; leguntq;

Fratres, concelebrant sanctaq; colloquia.

Ac ubi circumeunt psallendo & corripuntur,

Hæc loca sunt studio singula facta suo.

Emtas luciferas modico non ere fenestras,

Pallidas gazas addidit innumeras.

B b 2

Omni-

*Omnibus in studiis doctus fuit atq; disertus,
 Hic Phœbum coluit Pegasidesq; Deas.
 Noverat hic cuncta, referas quæ Theologia,
 Prudens in factis, clarus in orbe fuit.
 Hic decus & lumen monachis in fonte Salutis,
 Sanctæ virtutis verus amator erat.
 Gaudet in æternis, meritis pro talibus, annis,
 Cum superis nectar pascit & ambrosiam.*

24. *Conradus Haunoldus* laudabiliter præfuit annis 19. Obiit in die Marci Evangelistæ anno Domini 1498. Succedit ei Canonice electus.

25. *Sebaldus Bambergerus*, S. literarum eximius Doctor & Professor, quiq; Principum nomine plurimis interfuit comitiis. Præfuit 20. annis. Obiit anno Domini 1518. nona die Julii. Sepelitur in ambitu cum tali querela & virtutum suarum elogio:

*Phœbus tres faustos post Christum voluerat annos,
 Tercentum lustra moverat atq; tria.
 Julius auroram demisit ab æthere nonam,
 Flebilis heu mœsta venit & atra dies.
 Horrenda & tristis monachis in fonte Salutis
 Plena fuit lacrymis, pallida, terribilis.
 Jam nostra in longos abierunt gaudia luctus,
 Versa est in lacrymas mœstitiæq; lra.
 Illa dies rapuit nostrum pietate parentem,
 Pastorem nostrum scæda dies rapuit.
 Abstulit Abbatem nostrum tunc illa Sebaldum,
 Nostrum Doctorem stravit & illa dies.
 Hei mihi, quos gemitus, animis quæ vulnera nostris
 Liquisti! lacrymæ quot cecidere mihi!
 O decus, & quondam monachis spes unica nostris,
 Funera namq; tua nil nisi flere jubent.
 Doctrina clarus, vita quoq; totus honestus,
 Commissi gregis & pacis amator eras.
 Audæ res nostræ per te sunt, Dux reverende,
 Augeat at meritum res bene gesta tuum.*

Optime

*Optime mutasti vitam cum morte, Sebalde;
Accipis aureolas, gaudia summa, duas.*

26. *Joannes Wengkhius*, Onoltzbachianus, egregius oeconomicus, prae fuit & profuit diligenti rerum domesticarum administratione annis undecim & resignavit anno Domini 1529. Obiit postea Noribergae in aedibus Laurentiano templo vicinis, quas vulgo Hailbrunnensem Curiam vocant, anno Domini 1538. decima octava Septembrium. Sepelitur in fontium Salutis insigni Basilica, prope S. Michaelis sacellum. Extat cum de eo, tum de cenobii Insignibus in fenestra quadam Curialis hypocausti vel cenaculi tale epigramma vitro inscriptum:

*Hæc, ô fons nostræ, fons multorumq; Salutis,
Fecit Joannes Wenck tua signa pater.
Anno 1519.*

27. *Joannes Schopperus*, ex Abenbergæ Eistetenensis Episcopi oppidulo natus, vir pius & doctus, omnium eruditorum ac studiosorum Meccenas, quorum monumentis etiam æternum apud posteros nomen consequutus est, successit resignanti Wengkhio anno 1529. Instituit auxiliis laudatissimi Principis, Georgii, Marchionis Brandenburgensis in monasterio insignem scholam, in qua multos bonos adolescentes pie aluit, qui liberaliter ibi instituti ad Academias postea uberioris ingeniorum cultus capiendi ergò missi sunt. Sciebat enim vir optimus, monasteria non ociofis ventribus, sed literarum, sed pietatis, sed honestæ vitæ studiosis initio condita ac tanta Principum liberalitate erecta & donata esse. Resignavit post duodecim annos, quibus sapienter præfuit, propter afflictam valetudinem, & Onoltzbachium concedens obiit ibi 14. Kalendar. Maij anno Domini 1542. cui pro sua erga me beneficentia gratitudinis ergò hoc posui in Silvarum mearum libro decimo sexto epitaphion:

*Scholæ
rum finis.*

*Hic Schopperus Joannes dignissimus Abbas
Mortuus, in Christi diuine pace cubat.
Sed corpus tantum cubat hac tellure repositum:
Mens pia in æthereis gaudet orvatq; choris.*

Bb 3

Que-

*Chronologia
Monasterio
S. M.*

*Quæq; laborabat vere cognoscere Christum,
 Hæc nunc cum Christo vivit & astra tenet.
 Lucis & eterne fruitur bonitate parata,
 Amplius & terras curat amatq; nihil.
 Nomen at ipsius & famam, vitæq; decusq;
 Convenit æternis nos celebrare modis.
 Nam doctorum hominum semper studiosus amansq;
 His ipsis etiam curâq; amorq; fuit.
 Ergo illum memores vere celebrabimus omni
 Tempore, qui Phœbi pars aliquantula sumus.*

*Abbas
 uxorem
 ducit.*

28. *Sebastianus Hamaxurgus*, ex Abenbergâ natus, vir in latinis literis præclare doctus, eligitur anno Domini 1540. Præfuit tribus annis, & anno 1543. viduam quandam coqui sui relictam, uxorem ducens mox solenni pompa peractis nuptiis è gubernationis fastigio dejectus est. Onoltzbachium itaq; secedens post aliquot annorum revolutiones ibi mortuus & in æde S. Crucis terræ mandatus est. Scripsit epitomen stirpis Marchionum Brandenburgensium ad Albertum Marchionem, Casimiri filium. Post ejus exaurationem præfuerunt monasterio per sesquianum Dominus Joannes Wirsingus, tum Prior, & Dominus Joannes Hartungus Judex, vir in musicis absolute doctus, humanitate nemini mortalium secundus, Vincentii Obsopœi etiam libris de arte bibendi scriptis, & Gasparis Othmari generi sui, præstantis musici, compositionibus aliorumq; monumentis nobilitatus.

29. *Georgius Greulichius*, ex Erlebachiano oppidulo natus, eligitur ex præposito Bonhofensi in Abbatem fontium Salutis anno 1545. Erat bonus œconomus. Præfuit annis tribus, scholæ non admodum propitiis. Obiit anno Domini 1548. decima quarta Aprilis.

30. *Joannes Wirsingus*, ex Abenbergâ natus, vir omnino decrepitæ senectutis, honestus & simplex quidem, sed tamen latine mediocriter doctus, designatur ex Priore Abbas Salutarium fontium anno Domini 1548. in die Barnabæ, anno ætatis suæ sexagesimo primo. Præest adhuc corrente hoc Jubilæo. Construxit novam Bibliothecam, & turribus aliquibus mœnia cœnobii

communivit. Est in hujus monasterii vicinia insignis pagus Rosenthal, quod Latinis equile, aut si mavis Rosental, rosarum vallem significat. Is pagus est Marchionum Brandenburgensium, ad Mulbachium rivum tribus à Noriberga lapidibus situs. In eo amplissima est Ecclesia Parochialis, constructa à S. Erbelgarde, Rheni Palatinissa, Divæ Khunigundis Babenbergensis fundatrix germana sorore, Ernesti vero, Bavarorum Ducis, laudatissima Coniuge. Horum amborum conjugum visuntur in eo templo regia profecto reconditoria. Tumulus Divæ Erbelgardis inscriptione quidem caret, sed nisi maximis sumptibus tam splendide extrui non potuit. Est enim similimus ei, in quo Bambergæ requiescere dicuntur Henricus II. Rom. Imp. & S. Cunigundis. Alter vero tumulus, Bavarorum videlicet Principis, Ernesti (qui in choro templi est) hanc habet hexametris quidem, sed satis rudibus versiculis ita contextam epigraphen:

Hac Dux Ernestus jacet in petra tumulatus.

Huic detur ut requies, sic optent quique fideles.

Da requiem, Christe, tecum sit semper ut iste.

Fuit olim eo ipso loco, quo templum hodie conspicitur, Castrum Bavaricæ Ducum, quod hac adhuc tempestate ab omni parte lapidosum testatur cœmiterium, sed quando aut à quibus devastatum sit, de eo nihil hactenus invenire potui. Sub templo, in subterraneis terræ faucibus aliud sanum est pervetustum & amplum, firmissimisq; duodecim pilis seu columnis constantiq; cœlestudine magnifice concameratum & communitum.

FULDA sive Fuldense monasterium, aut, ut in Caroli Magni diplomatibus reperitur, monasterium S. Salvatoris in Silva Buchovia situm, potentissima ordinis & instituti D. Benedicti Abbatia in Buchovia, Germaniæ tractu, inter Hassiam, Franciam orientalem & Wederoviam sito, ad ejusdem nominis amœnissimum ac pisculentissimum fluvium & intra ejusdem nominis præclaram civitatem amœnissimo loco fundata & constructa est anno Domini 744. sumptibus Carolomanni & Pipini, Galliæ ac Franciæ Regum, à S. Bonifacio sive Wunefrido Anglo, primo Archi-